

X 1880 767

Q. D. B. V.

EX POLITICIS,

DE

# SUBJECTO

MAJESTATIS, MONARCHICO  
CO pariter ac POLYARCHICO,

PRÆSIDE  
VIRO PRÆCELL.

DN. M. JACOBO WÆCHTLERO,

Ampliss. Facult. Philos. Adjuncto, nec

non Ecclesiæ Oßatiensis p.t. vocatô Archi-  
Diacono,

*Fautore, ac studiorum suorum Promotore ævi-  
ternum colendo,*

*disputabit publicè d. 3. Octob.  
horis matut.*

In Auditorio Majori,

MICHAEL Lannenberg /

Dresdâ Misn. Autor.

WITTENBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKEN, M. DC. LXVI.



R 28.



1660  
Plurimum Reverendo, Amplissimo, Eximiis, prudentiâ, pie-  
tate & rerum usu Præstantissimis ac Integer-  
rimis

V I R I S

DN. M. DANIELI SCHNEIDERO,  
Ecclesiæ, quæ Christo Jesu Dresdæ ad D. Crucis col-  
ligitur, Archidiacono vigilantissimo, ac benè meri-  
tissimo;

*Sic quoq;*

DN. NICOLAO SCHWARZIO,  
Electoralis Vinorum Magistro fidelissimo, Susceptori  
dilectissimo,

DN. PAULO AYRERO, Reipubli-  
cæ Dresdensis Civi præcipuo ac Aurifabro peritis-  
simo,

DNN. Cognatis, Susceptori, Patronis, Fautoribus atq; Pro-  
motoribus suis, omni observantia cultu usq; quaq;  
colendis,

*Hoc quale quale Philosophici studii specimen, pri-  
mitiasq;, grata mentis & submissa obser-  
vantia declaranda ergò humiliter*

Consecrat dedicatq;

Michael Zannenberg/  
Autor Respondens.



IN NOMINE JESU!

**N**generâsse Naturam  
regnandi quandâ cupidinem  
plerisque hominum ingenis,  
tâm certum est, quàm quod  
certissimum. Luculentissimè  
rem tot exemplorû compro-  
bant myriades, quas si recensere omnes anni-  
terer, verendum foret, ne citiùs pageellarum,  
quàm exemplorum copiae deficerent. Et ut  
de multis quædam saltem sistamus scenæ in-  
præsens, decantatissimum *Solymani* effatum  
est, quò *nihil dulcius esse, quàm imperare*, asse-  
ruit. Imò & infimi, ut cum Comico loquar,  
subfelli homines non aversos à regiminis dul-  
cedine animos habere, quorum tamen fortuna  
novercans enervare animos poterat, exem-  
plum Abdolomini cujusdam satis superque de-  
clarat, qui utat principiò deprecaretur  
sceptra constanter, æternas denique sor-  
des tamen abluebat, Regisque habitum in-  
duebat, prouti memorat Curtius *l. 4. c. 1. n. 19.*  
*seqq.* Operæ ergò facturos pretium nos esse pu-  
tavimus, si de *subjecto Majestatis* materiam pau-

A 2

lò pro-

Id prolixius trutinaturi, sub disputationis publicæ incudem revocemus. Cumque ut fieri solet, discrepantibus opinionibus, de eò disputatum à Politicis sit; receptam verissimamq; sententiam nonnullis aphorismis ac controversiis exponemus. *Faxit DEUS, ordinis ac Majestatis supremus Autor, ut operemur ex votò atq; feliciter!*

APHORISMUS I.

*Subiectum Majestatis est, cui summa Potestas in Civitatem, per certa & efficacia media, divinitus est commissa.*

Ε' x θεοις.

§. I.

Cum omnis, quæ à ratione suscipitur, institutio, à definitione debeat proficisci, ut sciamus, quid sit, de quo disputetur, docente M. Tullio *L. 1. off.* idè *subiecti Majestatici*, quo de disputaturi in præsentiarum sumus, definitionem non abs re præmittimus. *Definitum* interim prius quod attinet, est *subiectum Majestatis*. Cujus *Homonymiam* quod concernit, notandum 1. per *Majestatis* vocem minimè nos intelligere eam, quæ κατ' ἐξοχήν & in eminentissimo sensu *Majestas* dicitur, *infinita* nempe & *independens*, cujus *subiectum jure Creationis Deus* est, sic tamen, ut cum simplicissima Dei essentia identificetur; cum, juxta tritum illud, in Deum non cadat *Accidens*; sed potestatem *finitam* intellectam volumus, ab infinita dependentem ac oriundam; eamque non *domesticam* seu familiarem; sed *publicam*, s. civilem. Neque 2. sermonem nobis esse de *subiectò* illius quòcunq;, etiam *remoto*, *confuso* ac *synecdochico*, quod *Respublica* qualibet integra vocari potest, sive sit *Monarchica*, sive *Polyarchica*; utut respectu posterioris, *Majestatis præsentiam* neget non nemo: *vid. Aphorism. 4. & 5.*  
Neque

1663.

Neque 3. de *subjecto occupationis*, quod & *passivum* vocari solet, *subjecta*que *Civitas* est; Neque 4. de *subjecto attributionis*, quod aliàs *Logicum* seu *prædicationis* vocant; sed 5. de *subjecto inhesionis*, *proximò* ac *distincto*, cui *Majestas*, ratione  $\upsilon\pi\acute{\alpha}\rho\chi\epsilon\omega\varsigma$ , velut *Accidens* verum & reale, inhaereat, & à quò, ratione  $\tau\eta\varsigma \epsilon\pi\epsilon\gamma\epsilon\iota\alpha\varsigma$ , in *subjectam* *Civitatem* defluat. Neque tamen de hoc solliciti sumus *concretè*, *particulariter*, & in *actù exercito*, sed *abstractè*, *generaliter*, & in *actù signato*; cum ad *individua Politica* non descendat: tumque naturam ejus partim *à priori*, per *definitionem*, partim *à posteriori*, per *divisionem* scrutabimur.

§. 2. Ad *definitionem* itaque ipsam nunc properantes, illud monemus principio, *perfectam*, omnibusque numeris absolutam eam non esse, cum *definitum* ex diversis *prædicamentis* conflatum sit: sed *imperfectam* saltem, & *descriptionem* aliqualem, naturam tamen *subjecti Majestatici*, quantum fat esse potest, planè *explicantem*, partim per *Genus*, quod licet non *explicitè* reperiatur, *implicitè* tamen omninò in voce *CUI* continetur, & ex *definito illo complexo* repeti debet, uti aliàs quoque illud in *complexorum definitionibus* usu fieri, *experientia* edocemur. *Materialiter* interim sub *relativò istò Pronomine* intelliguntur *homines*, unus vel plures, quibus attribuitur *Majestas* non ex *principiò Physicò* seu *naturali*, v.g. propter *qualitates* quasdam naturales, ratione *sexûs*, vel *corporis*, vel ipsius *animæ rationalis*: nec ex *principiò Ethico* seu *Morali*, propter *qualitates* quasdam morales aut *virtutes*: sed ex *principiò Politico*, seu *Civili*, propter *qualitatem* civilem divinitus institutam, ac per *peculiarìa media*, positivè concessam: ac sufficit, si sub *conceptu hominis*, receptò more, *rationalè* duntaxat *animal* comprehendamus, præcisò *sexûs*, vel *ætatis*, vel *aliorum accidentium* tum *naturalium*, tum *moralium* atque similibus respectu: de quibus omnibus in *subsequentibus* prolixè.

§. 3. Partim quoque per *differentiam*, quam arcessimus tum ab *objecto inherente*, quod *summa potestas* in *Civitatem* est; tum à *conferente causa*, quæ *Deus*: Neque enim *ulla est potestas*, nisi à *DEO*, ut graviter monet *Apostolus Rom. 13. v. 1. item à conferentis actù*, qui dicitur esse *commissio*: non *corporalis*, per

1664.  
exhibitionis modum manuum, quomodo librum aut clavem  
aut aliud quid tradere solemus alicui, nam sic committi Ma-  
jestas non potest: sed *moralis*, quæ in *permissivitate* consistit  
formaliter, quatenus nimirum, adhibitis certis & efficacibus  
mediis, permittit Deus, ut hic vel iste regali munere defunga-  
tur: quo sensu communiter *officium*, vel id genus alia, com-  
mittere solemus. Ut & denique, à *collationis modo*, qui in actum  
traduci dicitur per *certa & efficacia media*, quæ vel in *principa-*  
*lia*, è quorum numero *electio*, *successio*, *victoriosa occupatio*;  
vel in *accidentalia* (qualia *coronatio*, *deductio*, *renunciatio* &c.  
pro cuiusvis reipublicæ ritu & consuetudine) dispescuntur.

§. 4. Quæ singula ponderantibus probè judicare in-  
proclivi erit, adversa fronte minimè pugnare has assertiones:  
*Majestatem esse à DEO mediatè*, ut hîc asseruimus; & *Majestatem*  
*à DEO esse immediatè*, ut alibi Politici docent: cum status  
controversiæ mutetur, & hîc loci nos *de subjecto Majestatis lo-*  
*quamur*, *concretè*, quod utique *mediatè* constituitur: illi verò  
*Jus Majestatis* intelligant, *abstractè*, quod è contrario & *causa-*  
*liter*, non nisi *autoritate* seu *institutione divinâ* nititur. Sic v.g.  
Majestas, quæ in *Republicâ Danicâ* hodiè est, causaliter est *im-*  
*mediatè* à Deo: interim quatenus eadem existit in Rege glorio-  
sissimò, *Fridericò III.* eatenus dicitur esse à Deo *mediatè*. In  
eodem etiam subjecto Majestatico Regio, tanquam in *exemplo*  
clarissimo reperimus, quæ in *actu signatò* hætenus definitivè  
proposuimus. Adest ibi 1. *homo*; & in eodem quidem 2. *for-*  
*ma certa denominans*, potestas, nempe in Danos. Hæc ipsi  
collata 3. *divinitus* ac *DEI Gratiâ*; sed 4. per *certa media*, per  
*Electiorem*, *Coronationem* &c. Sic & in cæteris omnibus sub-  
jectis Majestaticis, politica talis ἀνάλυσις institui debet di-  
stinctè.

## APHORISMUS II.

*Subjectum Majestatis rectè dividitur in soli-*  
*tarium vel ἀσύνθετον: & consociatum seu σύνθετον. Il-*  
*lud Monarchicum, hoc Polyarchicum dicitur.*

Ε'κ 78015.

§. 1. A definitione tendimus ad *Divisionem*, cujus fundamentum non obscurum adeò est, ut ad illud inquirendum, Argi solertia in partes vocanda sit: cum ultrò sese offerat *rex* seu *regin. inis publici principalis diversa dependentia*. Enimverò quoad *intrinsecam suam vim & originem*, fuit illud *vel ex arbitrio & autoritate unius in singulari*, quomodo hodiè non in *Monarchiâ Danicâ tantum*, sed *Turcicâ quoque usu venire novimus: vel ex arbitrio & autoritate plurium in plurali*, consociatorum tamen ad instar *unius*; quod v. g. in ipso *Imperiò nostro Romano - Germanico obtinet*. At inter *singulare, & plurale* adæquata est oppositió; perinde, ut inter *unitatem, & pluralitatem*. Rex ergo *Daniæ, vel Imperator Turcicus*, est *Majestatis quisque subiectum solitarium, ἀσύνθετον, & personale*: Imperator verò noster cum augustissimo Principum collegio, *subiectum σύνθετον, seu consociatum & collegiale*. Inter hæc duo non datur tertium.

§. 2. Ac licet putemus, planissimam hanc viam, immò regiam esse, ad inveniendam *subiecti Majestatis diversitatem*: aliam tamen ingredi *Grotio* placuit. Nam *Lib. 1. de Jure B. & P. c. 3. n. 7.* subiectum Majestatis in *commune & proprium* secat, *Subiectum*, inquit, *aliud est commune, aliud proprium*. Excusari divisio hæc videtur posse, ac si consentiat cum nostrâ ex assè. Verumenimverò diversissimus utrobique sensus est. Pergit enim *Grotius: Ut visus subiectum commune est corpus, proprium oculus: Ita summæ potestatis subiectum commune est civitas, quam perfectum cætum esse, supra diximus. Non E. per commune Subiectum intelligit id, quod in Oligarchiâ vel Democratia, vel Republicâ mixtâ est: sed in ipsâ Monarchiâ haud obscurè populum respicit, ei que Majestatem, quam alii realem vocant; Principi verò personalem, cujus hic Grotius subiectum proprium Principem facit, attribuit. Sic enim is thesin suam defendit: Hujus rei certum indicium esse potest, quod extincta domo regnatrice, imperium ad quemcung, populum seorsim revertitur. Subiectum ergo commune esto civitas: Subiectum proprium est persona una pluresve pro cujusq, gentis legibus*

ac moribus. Eandem crambem recoquit *Lib. 2. cap. 9. n. 8.*  
 §. 3. Verum temperare sibi à periculoso isto commento  
 debebat Grotius. Quàm enim vano suffulta fundamine sit  
 hæc sententia, nemini ignotum esse potest, qui absurdissi-  
 mam de *Majestate reali* sententiam, jamdudum profligatam à  
 Politicis accuratioribus esse, sciverit. Neque robur aliquod  
*simile* illud, à *potentia naturali* depromptum conciliat. Uti  
 enim in *Physicis* ex principiis naturalibus disputare, exempla  
 item naturalia accire fas est; ita quoque *Politici* muneris erit,  
 nō alienigenis superbire exemplis, & similitudinibus, sine men-  
 te sonum reddentibus, suas superstruere sententias; sed ex  
*principiis politicis* derivare suas conclusiones, exempla que poli-  
 tica sistere scenæ. Meritò hic dixeris cum *B. Sperlingio proæm.*  
*Instit. Phys. quest. XIII. p. 26.* *Tantum est intra suos se continere,*  
*cancellos!* Adeò valet hæc in re tam dubiâ illud: *Similia non*  
*probant.* Nec hilo digna ratio, quam pro certo indicio vendi-  
 cat Grotius. Nam quod ait, *extinctâ familiâ regnatrice ad po-*  
*pulum reverti imperium,* in eo falsus apertè est. Propugnand-  
 um illud rationum pondere fuerat, non asserendum simplici-  
 ter. Fefellit Grotium, quod non animadverteret, aliud esse  
*Imperium ipsum;* aliud, *jus eligendi,* seu applicandi personam  
 ad Imperium divinitus capiendum ac exequendum. Hoc ad  
 populum vel etiam ad Magnates, defunctò Rege, revertitur:  
 illud non item. Sanè hæc δὲ δὴ πασῶν differre, in proclivi  
 ostendere esset, ni vereremur, ne supervacaneus labor foret, ut  
 si in sole positis facem præferas, & accessu luminum claritudi-  
 nem diei gestias adjuvare, ut Symmachi verbis utar ex *Lib. 3.*  
*Ep. 48.*

### APHORISMUS III.

*Datur Subjectum Majestatis ἀσύνθετον sive*  
*Monarchicum.*

*Ἐκθεσις.*

§. 1. *Subjectum Majestatis Monarchicæ* dari, neminem in  
 dubium facilè vocaturum quidem autumo; cum nullo non  
 tempore id deprehendere licitum fuerit. Certè tantam *Per-*  
*sarum*



2667.  
sarum Regibus Majestatem fuisse, ut nulli tam gravissimas in  
subjectos habuerint leges, conceptis asseverat verbis Ambrosius  
Hexaemero V. 21. adeò, ut nomē Regis Persis pro Numine fuerit,  
uti ad Curtium L. 3. c. 6 n. 17. in eruditissimo Commentario notat  
Freinshemius. Quin imò de toto Oriente id refert civilis pru-  
dentia Magister Histor. IV. c. XVII. n. VII. Et quisquis nostris ad-  
huc temporibus *subjectum Monarchicū*, quale Politici in Philo-  
sophiadescribunt, commentū esse putaverit (qualiter sentiunt,  
qui cum Conzeniò, Paulo Busiò, atq; Kirchnerò, dari *Republicā  
simplicē* negant) is, quæso, potissimū *hodiernum Danorum Regē*  
ponat sibi ante oculos, ac dubitationis nebulas, spero, dispul-  
sas deprehendet. Licet enim in quavis Monarchiā exi-  
stere quosdam, per quos Imperii Monarchici *secundus actus*  
fluat, quorum quoque consiliis atque suffragiis, per *certa non-  
nunquam pacta*, adstrictus Monarcha sit, nulli fortè inficie-  
mur: illos tamen propterea statim ad *principale ipsius actus pri-  
mi Gubernativi* seu ad *potestatis ipsius summæ* ἰσχυροῦς consti-  
tutivè pertinere, saltem non largimur; cū *exercitium à jure di-*  
*stingvatur oporteat.*

§. 2. Cæterum *materiale* subjecti Monarchici, ut antea  
dictum, est *Homo*. Homo, inquam, determinatus *unitate nu-  
mericā*, ἓν, seu *in Individuo* unus; cum repugnet, Majesta-  
tis subjectum esse *μοναρχικόν*, nec tamen Majestatem esse penes  
*unum*, sed penes *plures*; quippe tum foret illud *πολυαρχικόν*:  
ac errant omninò, quotquot cum *Dan. Ottone* c. 7. Jur. publ. &  
*Keckerm.* 2. syst. pol. c. 2. *Duumviratum, Triumviratumq;* ad *Mo-  
narchiam* referunt, quā de re consuli potest *proximè hab. Disput.  
Dn. Præsidis de Monarchiā, ib 9.* Indeterminatus tamen *sexu*.  
Nam & sequiorem sexum Majestatis esse *capacem posse*, asseri-  
mus, *per se* scilicet; licet propter antiquiora *vel Republicæ  
pacta, vel Regis statuta* excludi *nonnunquam* fœminas, & sic  
*per accidens*, non negemus. *2 etate*. Sive enim *senex* fuerit, si-  
ve *juvenis*, sive *puerum* & *infans*, Majestas ei denegari pro-  
pterea *justè* non poterit: licet *infantibus* deneget *Grotius* l. 1.  
*de J. B. & P. c. 3. n. XI.* & *Kirchnerus* L. 1. de Legat. c. 3. n. 48. 49. quo-  
rum tamen rationes nec nobis nec fortè aliis pulverem spar-  
gent

1664.  
gent ob oculos: cum *ratio atatis*, ad stabiliendam *potestatis in-  
herentiam*, intrinsecè non pertineat; sed solùm ad *exercitii im-  
mediatum propriumq; actum*, qui tamen non absolutè necessa-  
rius est. Quàm bellè igitur à *negatione usus & usurpationis pro-  
priae, ad negationem Majestatis ipsius* argumententur contrariæ  
sententiæ patroni, viderint ipsi. 3. *Qualitatibus aliis cum Phy-  
sicis, tum Ethicis: cum accidentales illæ sint, nec ad hunc civi-  
lem statum, ad producendam potestatis inherentiam seu capa-  
citatem, ad subjctandam item Majestatem (ut sic loquar) abso-  
lutè ac per sese requirantur. Per sese, dico: per accidens fieri  
potest nonnunquam, ut vel electio, vel successio, certâ quâ-  
dam qualitate futuri regis, tanquam caractere, notata limita-  
taq; fuerit; quales respectus accidentales & extraordinarios hic  
non negamus quidem, interim præscindimus.*

§. 3. Concludendum ergò est, nec *corporis morbum, nec  
mutilationem, nec deformitatem* ullam, nec *furorem animi, nec  
errorem, nec depravationem, nec ruditatem aut heresin, nec vi-  
tium vel virtutem, nec ullum fortune livorem, paupertatem, & id  
genus alia, Majestatem vel Majestatis inherentiam tollere vel  
subjctum Majestaticum per se & formaliter immutare, ut inde l.  
incapacitas absoluta, l. Majestatis possessæ privatio totalis, co-  
ram foro poli ac soli, validè possit demonstrari. Positis enim il-  
lis, manet nihilominus *actus Majestatis primus*, ac primum *jus*;  
atque si omne illud, quod *actum Majestatis secundum* impedit,  
Majestatem ipsam destruere statim posset, certè & somnus, &  
ister, & ebrietas, & quid non tandem, majestatem tolleret?*

§. 4. Interim ob ea, quæ ante paulò diximus, *distin-  
ctionum* quarundam temperamento opus est: Et r. quidem di-  
stinguas velim inter *subjctum Majestatis constituendum, & con-  
stitutum*. 3. Inter *necessitatem & utilitatem*, seu inter *debitum  
ac decorum*. Inter *Rempublicam liberam & limitatam*. De  
subjctò Majestatis jam antea justè *constituto* si sermo est, *priva-  
tionem Majestatis* ob causas eas nec admittendam, nec ap-  
probendam censemus, cum per *accidentalia* absurdè mutari  
dicantur *substantialia*. Sin verò de *subjcto constituendo* adhuc,  
eligendoque loquaris, *utile futurum atque decorum* non nega-  
mus,

2669.  
mus, si eligatur (1.) quoad *sexum*, *Mas.* Nam, ut ille ait, *varium animal & mutabile semper femina est.* (2.) Quoad *ætatem*, *Vir.* Aptior enim gerendis rebus virilis ætas, quàm extrema senectus, aut Juventus est, quæ, ut Horatius ait, *cereæ in vitium flecti.* 3. quoad *corpus*, *procerus.* Habet enim eminentior statura egregii aliquid, certè regium quoddam. *Pulchrior est Virtus veniens è corpore pulchro.* Hinc Ennodius in Panegyrico Theodorico dicto; *Statura est, inquit, quæ designat prolixitate regnantem.* Qua de causa & statura talis Imperatoria dicta à Spartano est, ut ad Sidon. L. 1. Ep. 2. eruditissimus notat Savoronius. Augustum sanè celsioris fuisse staturæ constat, quæ, quidnam apud Gallorum quendam Principem effecerit, Tranquillus narrat Svetonius in vita ejus C. 79. 4. etiam quoad *mentem*, *virtuosus.* Nam ut verissimè Claudianus:

*Regis ad exemplum totus componitur Orbis:*

Ubi plura in hanc rem in absolutissimo Commentario Barthii observata legere licet. *Decorum*, inquam, id esse existimo: sed *absolutè & ex inviolabili jure* quòdam, haud necessarium; nisi fortè in *limitatâ Republicâ*, juxtâ legem aliquam fundamentalem, & sic ob *firmam hypothesein.* At ab *hypotheticâ impossibilitate*, ad *absolutam*, N. V. C.

§. 5. Et hæc de *materiâ subjeçti Majestatici in Monarchiâ.* Succedit *formale*, quod duplex; *Constituens*, & *Consequens.* *Constituens formale* est *individualis illa potestatis Monarchicæ habitio*, seu, ut clarius loquamur, *certi illius individui ad Majestatis possessionem vera applicatio*, seu *immediata*, seu *mediata*; seu *temporaria* seu *perpetua.* Positò istò *formali in actu completo*, existit quoque *subjeçtum Majestatis Monarchicæ*: *formali istò negatò*, etiam hoc nunquam poterit effici. Sic olim factos Reges *immediatè* haud rarò; nonnunquam etiam *ad certum tempus*, novimus; quorum tamen utrumque abrogatum nostro seculo est.

§. 6. *Formale Consequens*, Monarchica regiminis accepti administratio est, *mediata* vel *immediata*, *libera* vel *restricta.* Mutari ac variari, quin & sufflaminari quodammodò *formale*

Consequens potest, ut tamen eo ipso formale constituens factum  
rectumque permaneat. Propter Collegia ergo certa, & Parla-  
menta, quae alia in Anglicâ, Hispanicâ, Gallica, & rebus publicis  
aliis hodiè sunt, non statim tollitur *Status Monarchicus*, neque  
negari *Monarchicae Majestatis Subiectum* debet: cum illa in  
*κοινωνία τῆς ἐξουσίας* non adsumpta, neque subiecti Majestati-  
ci partes aut membra principalla sint: ideoque, salvâ manente  
*Subiecti Monarchici substantiâ* & adesse & abesse valeant. Hinc  
tales Resp. REGNA dicuntur, ipsorumque capita REGES, non  
saltem *equivocè* ac nominaliter; sed omninò *univocè* ac rea-  
liter.

APHORISMUS IV.

Datur quoque Subiectum Majestatis *σύνθετο* seu  
Polyarchicum.

Exsecis.

§. I. Subiectum Majestatis Polyarchicum dari, probari multis,  
hisque non levibus, rationibus potest efficacissimè. Nullo e-  
nim non tempore illud clarissimi quique tum Theologorum,  
tum Juristarum, tum Philosophorum, ivere assertum, quorum  
Autoritas temerè spernenda habendaque insuper non est. De-  
cretoria tamen magis argumenta suppeditat cum Republicæ  
*Oligarchicae, Democraticae ac mixtae univoca veritas*, quoniam  
per ipsam etiam experientiam, constat, existere reverà tum O-  
ligarchiam, tum Democratiam, tum formam mixtam, easque  
singulas, ratione *regiminis publici de Republica formali conceptu*  
participare, non *equivocè*, sed *Synonymicè*. At sine *summâ po-  
testate* nulla existit *Respublica*, nec potest existere *ordo civilis*, ni-  
si actiones civiles ab unò principio summo dirigantur. Tum  
ipsius regiminis quoque Polyarchici *validissima vis ac efficacia*,  
quoniam penes Polyarchos existit *potestas ferendi leges, pro-  
nunciandi judicia, pœnas infligendi, jus belli, pacis, fœderum,*  
*religionisque*, sicut id ipsum *actus exercitus sive secundus* ad o-  
culum demonstrat, ac daret ipsis haud dubiè pœnas, qui con-  
tradiceret in foro, ac jura isthæc denegaret: penes eosdem igi-  
tur existat oportet & *summa Potestas*, tum ut ista jura *per sese*  
sint

16712  
sint efficaciter valida, veraq; jura, tum ut in primò quòdam abstra-  
ctivè subsistat imperiù, nec detur progressus in infinitù. Rectè  
B. D. Hülsem. Est una atq; eadè vis legislativa, sive exerceatur per  
REGEM, sive per DUCEM ab eò missum, vel per PLURES aut per  
COLLEGIUM quoddã PARI potestate præditum: eademq; OBLI-  
GATIONE tenentur Christiani obedire omni humane creature,  
existenti in MONARCHIA, ARISTOCRATIA, DEMOCRATIA  
&c. in brev. Theol. c. 20. §. 4. Ideoque & CRIMEN LÆSÆ  
MAJESTATIS verum committi posse in Oligarchiam, non ita  
pridem testatus est Dn. D. VV. Th. Martini in disp. de Crim. L.  
M. c. 1. §. 5. n. 4. & 16. Ac ipse Hornius, qui nobis h. l. contra-  
rius est, fatetur expressè, in singulis reip. speciebus esse Imperium  
atq; obsequium, pol. p. 114.

§. 2. Cæterum materiale subjecti Polyarchici multi, seu  
uno plures homines sunt, viri potissimum ac fermè semper, quam-  
vis, ut ex superioribus constat, jure quodam universali pro-  
priè dicto, fœmina non excludantur. Quemadmodum enim  
hodiè in regno Svecicò, Potestas administrativa penes tale Col-  
legium est, quod ipsam quoque Reginam viduam comprehen-  
dit: ita non obstat generale aliquod jus, quod à Principali re-  
gnantum Collegio, fœminam quamcunque excludat simpliciter.  
Materialia saltem & mutationi obnoxia, sunt accidentia, v. g.  
numerus, ætas, sexus, opes, mores, aliæque tum qualitates, tum  
relationes; neque per sese pugnantiam infert, plures inter illos  
existere nonnullos impios, indoctos, egenos, agrotos, ple-  
bejos &c. Hoc enim respectu subjectum Polyarchicum  
& Monarchicum pari passu ambulant: & privatum statum cum  
publico, vitam cum officio, jus etiam cum exercitio confunde-  
re minimè fas est. Interim tamen decorum ac utile fuerit ma-  
gis, quantò aptiores ad functionem talem sint, ex quibus subje-  
ctum Polyarchicum componatur: quales habentur viri, pru-  
dentes, inculpabiles &c. Ab honestate verò vel utilitate, ad ab-  
solutam necessitatem N. V. C. Formale ejus, sicuti subjecti etiam  
Monarchici, duplex est; Constituens & Consequens. Illud, quod  
& internum vocare licebit, non est particulativa Majestatis  
vel Jurium distributio, quæ merum ens rationis est: sed plurimum

quorundam, ad κοινωσίαν τῆς κυρείας, per pacta certa ineundam ac iustitendam, actualis & Majestatica consociatio. Enimvero quemadmodum communicatio & κοινωσία omnis, quæcunque etiam illa & qualiscunq; demum sit, ἐνωσιν ac unionem quandam præsupponit, nec unum ἢ ἰn pluribus esse commune, nisi per qualemcunque participantium συνδεσμὸν ac unionem potest, sicuti omnium disciplinarum Regina docet ac præcipit: ita & hîc loci vinculum civile, quò plures civiliter uniuntur, peculiaria pacta sunt, eaque talia quidem, quæ objectivè ac materialiter, de ipsius Imperii summi ac summæ potestatis κοινωσία, seu indivisâ communione, de primariâ jurium competentia, de ipsius principalis regiminis fundamentali dependentia, sint concepta. Ex hujuscemodi vinculo ad plures applicato, Majestatica illa resultat unio, per & propter quam plures illi, ceu partes, ad subjectum Polyarchicum constituendum, conjunctim ac indivisim consociantur: id quod illustrari saltem potest, exemplo Majestatici illius Collegii, quod ex Imperatore Romano, aliisque Principibus constat, juxta Auream Bullam ita cunitis, ut omnes pariter, utut inæqualiter, de κοινωσία summæ potestatis civiliter participant, subjectumq; Polyarchicum reverâ & ipso actu constituent. Ideoque principium petit hîc Hornius, dum putat, Polyarchicis talibus pactis ac conventionibus, imperium excludi ac subjectionem, pol. p. 560. Nec n. hæc opposita sunt, sed compossibilia: pactaque talia realem electionis Majestaticæ (objectivè sic dictæ) speciem quandam absolvunt: sicuti testatur à priori, paciscentium intentio, qui veram ordinare remp. cupiunt; nec non à posteriori, effectus ipse, dum singuli parent, ob magistratus, ab ipsis omnibus conjunctim sumptis institutos &c.

§. 4. Formale Consequens subjecti Polyarchici dividi potest, in Necessarium & Accidentarium. Necessarium est collegialis postmodum ac indivisa administratio. Administrationem intellige i. Principalem seu fundamentalem. Ministerialis enim administratio seu executio ab uno, ex iis delegato, fieri posset. v.g. si juxta totius Collegii fundamentale arbitrium, ex ipsis illis membris unum vel alterum substituatur, quod bellum gerat

1673

gerat, aut exigat tributa, vel pœnas dicet. Ultimò enim & *radicaliter* dependeret hæc *executio* ab ipso Collegiò *indivisim*, juxta tritum illud: Quod quis per alium facit, id ipse fecisse putandus est. 2. Administrationem intellige *indivisam in tantum*, in quantum unionis hujus Majestaticæ *fundamentalia pacta* requirunt. Qualis enim & quanta rei *Κλήσις* est, talis etiam & tanta expectanda rei *Χρήσις*. Qualis & quanta *participatio juris*, talis quoque ac tanta *ejusdem administratio*. Cum igitur illa sit *collegialis & relativa*; hæc etiam *collegialis, & relativa* sit oportet, ut adeò *divisim*, alter sine altero vel contra alterum, jubere *efficaciter*, de jure, non possit.

§. 6. Excepienda autem *votorum & sententiarum* in deliberando *pluralitas* vel *melioritas* est, quæ valet omninò, etiamsi ex Collegis dissenserint aliqui; & valet hîc ista, non *ex imperii defectu*, quasi ad *κοινωσίαν* Potestatis hi non pertineant, quorum suffragia superantur, ut colligit Hornius *pol. p. 565*. Sed *ex ordinario fundamentalium pactorum tenore*, quibus sic cautum jamdiu ac unanimiter est, ne ex *dissensu tali deliberativo*, discordia regni, *subjectiq; imperatorii* periculosa *ἀνάλυσις* sequatur. Ex quibus patet, quàm infirma Hornii consequentia sit: *Quorundam ex Collegio summo seu Majestatico vota & suffragia non valent; Ergò nec isti, nec reliqui, nec totum Collegium est consors Majestatis*. Sic enim proceditur *partim* à *diviso* ad *indivisum*: *partim* ab *accidentali* ad *substantiale*, nempe à *dissensu in deliberando*, ad *Majestatis defectum in imperando*; sed malè, cum *deliberativi actûs infirmitas* hîc ne quidem imputari, multò minus opponi debeat ipsius *actûs imperativi communitati*. Est hæc *infirmitas* quædam reip. tum *Oligarchiæ*, tum *Democraticæ*; à cujus adherentiâ, ad ipsius reip. ac Majest. negandam existentiam N. V. C.

§. 7. *Formale* deniq; *accidentarium* est administrationis *Polyarchicæ libertas* vel *restrictio*. *Libertas*, in *Polyarchiâ absoluta*, ubi obtemperantibus nihil debetur peculiare, sed omnia in universum Majestatis jura, ad solum imperantium arbitrium *absq; ullâ civili limitatione*, pertinent. Fieret exinde *Polyarchia libera*. *Restrictio* autem, in *Polyarchiâ limitata*, ubi quoad certa quædam regiminis jura, certa populo promissa sunt facta. Eadem

Eadem hic ratio est, quæ Monarchiæ *absolutæ & limitatæ*, ac videri potest in rem hanc antea laudata *disputatio Præsidis de Monarchiâ.*

§. 8. Interim verò subjectum *Monarchicum & Polyarchicum* differunt 1. *materialiter*, quoad personas. Ad id enim *unicum* Individuum; ad hoc autem *plura* concurrunt. 2. *Formaliter*, quoad imperii competentiam, seu quoad modum de communi summo imperio participandi. *Monarchicum* enim fit per simplicem alicujus electi hominis ad istud officium applicationem: at *Polyarchicum* simul per *civilem* vel *Majestaticam* plurimum *cognitionem*. 3. *Eventualiter*, quoad exercitii seu administrationis modum, qui ibi *formaliter, per se & à priori* absolutus & liber est, siquidem Monarcha non nisi *per accidens & à posteriori*, ad pacta quædam alligetur: hinc verò *formaliter & per se* est *relativus*, cum non ab unò, *divisim*; sed ab omnibus *indivisim*, de jure, dependeat. 4. *Accidentaliter*, quoad *Majestaticam* pompam atq; splendorem, qui longè amplior ac eminentior circa *subjectum Monarchicum* est, quàm circa *Polyarchicum*; sicuti in *aulis* per quotidianam experientiam videre licet. Nec non *quoad consiliorum negotiorumq; faciliorem expeditionem*, quippe à *subjecto Monarchico*, quàm à *Polyarchico*, consilia & capiuntur & expediuntur longè facilius, sicuti, proh dolor! non ita pridem *Turcicus Imperator* ad offendendum longe paratior extitit, quàm nostrum *Imperium* ad defendendum. Quoad *formam genericam* tamen, quæ (ut sic loquar) *Majestatis habitio* est, neutiquam differunt, cum *Polyarchicum* subjectum sit æquè *Majestaticum*, ac *Monarchicum*, quantum attinet *presentiam summæ Potestatis*, præcisè spectatam: etiamsi *modus* tùm consequendi, tùm administrandi quam plurimum differat.

APHORISMUS V.

Subjectum *Polyarchicum* *vel est unitum æqualiter, vel inæqualiter. Illud est vel Oligarchicum, vel Democraticum; Hoc, Reipublicæ mixtæ.*

E'x thes 15





§. 1. Fundamentum divisionis est *Majestatica* plurium unio, quæ dicitur esse vel *equalis*, cum plures illi consociati, omnes ac singuli, *equaliter*, de jure summo participant, ut nullus præ alio *Majestaticè* præemineat. Et hoc modo *unitum illud subiectum* Polyarchicum porrò est vel Oligarchicum, vel Democraticum; propter *materiam*. Ex totâ enim Civitate vel uniuntur ὀλίγοι, quidam, ad sustinendum Summæ Potestatis officium; hinc *Oligarchicum* fit subiectum: vel uniuntur πάντες, omnes, ut *indivisi* sumpti, *statu* gaudeant imperativo; hinc *Pantocraticum* seu *Democraticum* fit subiectum. Ubi observandum, quod juxta *formam externam*, subiectum Democraticum fit quidem *prestans*; at multò *prestantius* est Oligarchicum; ac *prestantissimum* tandem Monarchicum: idque ob multas circumstantias tum in consultando, tum in exequendo; tum ratione durationis, tum ratione magnificentiae ac Majestaticæ coruscationis &c. Per utrumq; verò subiectum, constituitur quoque deinceps *Respublica simplex*, tum *Oligarchica*, tum *Democratica*. Nam qualiter *subiectum Majestaticum* est constitutum *formaliter*, taliter etiam id imperat postmodum *principaliter*, ac taliter etiam *regimen ipsum principale*, quod *Reipublicæ forma* est, jure meritò denominatur.

§. 2. Vel etiam unio ista subiecti Polyarchici, dicitur esse *inequalis*, cum & *divisum* plures illi jubere nonnulla *principaliter* possunt, diversis in locis seu universalis territorii partibus, puta *secundum partium fundamentalium*, ex quibus *Majestatica unio illa* resultat, *sensum ac tenorem*. Nam, ut ex *generalibus* Metaphysicæ principiis constat; quot gradus ἐνώσεως, tot etiam gradus τῆς κοινωνίας ac ἐνεργείας. v. g. in *naturalibus*; quò major est unio ferri & ignis, eò major communio est caloris. Sic & in *civilibus* h. l. κατ' ἀναλογίαν, quò quis accedit propius ad *Majestatis κοινωνίαν*, eò & magis præ cæteris eminent. Indeque *Respublica Mixta*, ad cujus naturam & productionem opus non est, ut asseramus *Majestatis divisionem*, vel *jurium illius distributionem*, ut vulgò docent; cum juxta *generalem sapientiæ primæ ἀκριβείαν*, utraq; illa *figmentum* sit, h. e. *Majestas ipsa, simpliciss-*

*eissimum accidens, nec Totum, nec compositum, propriè: ipsa etiam jura distinctione gaudeant, non reali, sed virtuali; ut rectè docet hîc Hornius pol. p. 189. Ideoque verissimum Reip. Mixtæ fundamentum est, civilis & Majestatica, sed inæqualis tamen, ex *συστασιον* ad ipsius Majestatis *ενοικωσιον* s. communicationem, per *συνδυασιν* quandam non equidem *Physicam* aut *necessariam*; sed *Politicam*, & *arbitrariam*; quæ *voluntatis libertate*, si non *rei communicandæ naturali proprietate*, nititur. Sed declaranda res exemplo est.*

§. 3. Sic v. g. in quâdam Republica *Monarcha* regnavit hæctenus, regimine *simplici* atqve *Monarchico*. Jam propter certas ac peculiare aliquas causas, cum quibusdam *Magnatibus* erigit *pacta*, in hunc fortè sensum concepta; ut illos omnes *imperii sui participes* faciat, sibiqve, *solitario* hæctenus *Majestatis subiecto*, ceu partes ac membra *civiliter* aduniat. Si inter hos omnes, conciperetur ejusmodi *pactum*, ut *indivisim* atqve *equaliter* exercere *Majestatis jura* velint omnia, *subiectum* *Majestatis* *Oligarchicum* fieret, cum regimine *simplici*: at verò quoniam ita se habet *pactum*, ut ad *Majestatis* *ενοικωσιον* pristinus *Monarcha* permaneat *proximus*, reliqui verò accedant *remotius*; hinc ab iisdem dependet *Majestas*, *conjunctim* atqve *unitim* equidem sumptis, quoad *materiale*: *inæqualiter* tamen, quoad *formale*, dum plura possit *Monarcha* ille, quàm ceteri, de jure: & hæc ratione fieret *Respublica Mixta*, ex *Monarchia* & *Oligarchia*, ubi tamen præpolleat illa: Qualis enim causa, talis effectus.

§. 4. Sic, & *exempli gratia*; In Imperio nostro Romano-Germanico, secundum mutua pacta, per Auream Bullam, *universum subiectum Majestaticum* 1. non est *solitarium* vel *Monarchicum*; sed *sociatum* seu *Polyarchicum*. 2. non *æquale* ac *simplex*, ut *Imperator* sine *statibus*, aut hi sine illò nequicquam possint; sed *inæquale* ac *mixtum*, ut *imperari* quædam *conjunctim* ac *indivisim* ab *Imperatore* ac *statibus* debeant: Quædam verò v. c. territorialia jura, *divisim* à singulis liberè exerceri queant. Hinc ipsum postea *regimen universale* seu *totius Reipublicæ nostræ*, secundum quid *Monarchicum*, secundum quid *Aristocraticum*

2677.  
eum est. Scilicet, quò quis accedit interiorius ad *ἐνωσιν* illam, tantò etiam plus de *κοινωνία τῆς ἐξουσίας* participat, v. c. Imperator: quò verò remotius, eò & minus, v. g. *Status*: Ideoq; & in Imperio nostro, *Monarchiam* præpollere communis est sententia; qua de re tamen tacere securè, quàm periculosè dicere, malumus. Statuendum interim omninò, *Rempublicam* dari tùm *simplicem*, tùm *mixtam*: & in *utraq;* Majestatis subjectum reverrà existere, quæ hujus nostræ disputationis quoque *materia* est, *scopus* &

F I N I S.  
SOLI DEO GLORIA.

## Elenchus contentorum.

1. *Subjectum Majestatis, quonam sensu sic dicatur?* A. 1. §. 1.
2. *Idem, an & quomodo definiatur?* §. 2.
3. *Majestatis principium an naturale, vel morale, vel civile?* ib.
4. *Quomodo Majestas dicatur conferri?* §. 3.
5. *An & quomodo dicatur eadem esse à DEO & mediatè & immediatè?* §. 4.
6. *An & quomodo Subjectum Majestatis dividatur?* Aph. 2. §. 1.
7. *An & quamobrem Grotiana Subjecti Majestatici divisio in commune & proprium, rejicienda?* §. 2. & 3.
8. *An detur tale Subjectum Monarchicum, quale Philosophi vulgò describant?* A. Aph. 3. §. 1.
9. *Possitne Monarchicum constitui subjectum ex personis duabus aut pluribus?* N. §. 2.
10. *Possitne esse Subjectum Monarchicum FÆMINA? vel INFANS & PUER? vel ÆGROTUS, aut MUTILUS, aut FURIBUNDUS, aut HÆRETICUS, aut RUDIS, aut PAUPER, aut EBRIOSUS, vel quomodocunq; VITIOSUS?* A. §. 2. & 3.  
II. Ad.

2678  
OK  
TK  
4560

11. Adferuntur necessariae distinctiones, §. 4.
12. Subjecti Monarchici forma tum constituens, tum consequens. §. 5.
13. An detur Subjectum Polyarchicum? A. Aph. 1. §. 1.
14. An possit esse Polyarchicum hujus subjecti membrum FÆMINA, INFANS &c. ut antè? A. §. 2.
15. Subjecti Polyarchici forma constituens quanam? §. 3.
16. Notatur Hornius, §. 5.
17. Subjecti Polyarchici quæ forma consequens? §. 4.
18. Iterum notatur Hornius, §. 5.
19. Subjectum Monarchicum ac Polyarchicum quomodo differant? §. 7.
19. De Subjecto Oligarchico & Oligarchiâ. Aph. 5, §. 1.
20. De Subjecto Democratico & Democratiâ. ib.
21. De Subjecto Majestatico Reip mixtæ. §. 2.
22. Hujus fundamentum §. 2. Simile. §. 3. & Exemplum, quoad imperium nostrum Romanum. §. 4.



TK  
WNA




1670.

Conjuncti  
recte  
men  
aliis  
neg  
cipa  
Subj  
tales  
salte  
liter

Po

S.  
isqu  
nim  
tum  
Auto  
creto  
Olig  
per ip  
ligare  
sing  
part  
testat  
si acti  
ipius  
quon  
nunci  
religi  
culum  
tradic  
tur ex



constituens sartum  
ergò certa, & Parla-  
a, & rebus publicis  
Monarchicus, neque  
ebet: cum illa in  
subiecti Majestati-  
ue, salvâ manente  
esse valeant. Hinc  
capita REGES, non  
nò univocè ac rea-

statis ovjeto seu

ri, probari multis,  
cissimè. Nullo e-  
m Theologorum,  
assertum, quorum  
uper non est. De-  
t cum Reipublicæ  
veritas, quoniam  
ere reverà tum O-  
a mixtam, easque  
a formali conceptu  
At sine summâ po-  
ere ordo civilis, ni-  
lirigantur. Tum  
ma vis ac efficacia,  
endi leges, pro-  
, pacis, fæderum,  
ve secundus ad o-  
panas, qui con-  
enes eosdem igi-  
t ista jura per sese  
sint

fi  
&  
E  
R  
C  
G  
ex  
&  
M  
pr  
M  
ri  
at  
  
un  
vis  
pr  
ho  
leg  
di  
gn  
Ma  
nun  
vel  
exi  
bej  
&  
pub  
re  
gis  
Et  
den  
solu  
Mo  
& in  
vel

